

in momento adest in altari, et toties, quoties vocatur. Magna fuit illa potestas, qua Moyses eduxit aquam de petra, Exod. XVII. Magna et Eliæ, qua ignem de cælo adduxit in terram devorantem holocausta, III. Reg. XVIII. Magna et Josue, qua solem stare fecit in cælo, obediente Deo voci hominis, ut dicitur, Jos. X. Sed parva hæc sunt respectu potestatis sacerdotalis; non enim ibi proprie Deus obedivit, quia nec in propria persona, sed in creaturis, quasi per famulos tantum: nec per modum obedientiæ, sed per modum exauditionis fecit postulata. Non petierunt illi ut Deus sibi obediret, sed ut manna, ignis, sol: nec id obtinuerunt jubendo, sed precando: nec erant certi de impetratione, sed cum aliqua formidine. Nihil horum hic. Transubstantiatio enim fit a sacerdote per modum potestatis ordinariæ indelebilis, et quidem infallibiliter, et in ordine ad Deum qui vi consecrationis in terras revocatur: hoc verius est obedire Deum voci hominis, quam id quod, Jos. X. dicitur. Jam si miratur Scriptura, quod Deus obedierit in creatura, quanto magis mirandum si obediat in propria persona? Unde non miratur centurio, quod Dominus possit imperare creaturis, ut statim obediant: *Nam et ego homo sum, inquit, habens sub me milites, et dico huic: Vade et vadit; et alii: Veni et venit.* Sed quod servus dicat Domino: Vade, et vadat Dominus; veni et veniat Dominus: hoc est admirandum et prorsus inauditum.

Secundo, obedit etiam (quod stupendum est) malis sacerdotibus et indigne consecrantibus, communione abutentibus, ut hæreticis, sagis, etc. Vocaverat princeps quinquagenarius cum quinquaginta viris Eliam, ut descenderet ad regem Ochoziam, vocans eum hominem Dei irrisorie, ut ibi Lyran. et alii; sed loco Eliæ descendit ignis de cælo et devoravit eos: quod iterato et totidem viris contigit, IV. Reg. II. Minus profecto mirum foret, si sacerdote indigne consecrante ignis pro Christo descenderet eumque devoraret. Sed hoc tamen non fit: pauci leguntur hic puniti: omnibus obtemperavit Christus. Videntur isti ad Christum dicere, quod Goliath ad Davidem dixit, I. Reg. XVII. *Veni ad me, et dabo carnes tuas volatilibus cæli et bestiis terræ.* Non obsunt quidem Christo ejusmodi injuriæ, (velut si spiritum aliquem gladio impeteres) tamen qui talia agit, quantum in ipso est, vellet omnes eas injurias Christo obesse, et ad ejus ignominiam vedere. Hæc causa fuit cur aliqui hæresiarchæ negarint Christum in eucharistia, quod indecens videretur Christum ad verba reproborum sacerdotum in hostiam e cælis deduci. *Quis credat impium sacerdotem tantum posse? aic-*

bat Zwinglius disputans cum Luthero. Lutherus e contra christianam humilitatem opponebat, Florim. Remund. de orig. hæres. lib. II. cap. VIII.

Tertio, obedit etiam homini civis, qui in infirmitate constitutus quoties petit ad se afferri eucharistiam, toties obtinet. Et quasi de jure ei debeatur, nunquam rogatur Christus ut ad ægrotum descendere dignetur, sed rogatur tantum sacerdos ut eucharistiam afferat. Perinde pro eucharistia ægri mittimus ac si pro aqua ad publicum puteum mitteremus. Multum omnino foret, si se tibi medicus quis obligaret gratis ad te venturum et curaturum te quoties ægrotaveris: certe nihilominus eum rogares ut dignaretur ad te venire. Ejusmodi medicus est Christus, de quo cum ægrotamus nunquam cogitamus, an descendere ad nos velit: sed confestim mittimus et quasi servitium quoddam nobis debitum, adventum ejus expectamus. Certe hic lapis angularis Christus est, ut enim lapis antequam ad ædificium adhibeatur, hac illac jactatur, et quocumque jaciatur, ibi manet: ita Christus in eucharistia patitur se tractari a nobis prout volumus, et in quovis corde reponi.

Quomodo igitur durum alicui fit subesse? Nam vel subjeceris majori, vel æquali, vel minori te. Primum æquum est, alterum facile, tertium non mirum, quia Christus obedit voci hominum. Vel cogeris obedire etiam malis dominis et dyscolis ut jubetur, I. Petr. II. id est, dure imperantibus: et hoc facit Christus. Diodorus Siculus, de fab. ant. cap. IV. scribit de Æthiopicis: « Si quando aliqua corporis parte rex debilitaretur, domestici omnes sponte sua eandem partem debilitant: turpe existimantes rege claudo aut monoculo esse. » Jam vero, annon in eucharistia ita nobis obedit Christus, ducitur, gestatur, ac si claudus esset aut cæcus, quia aliorum ductu indiget. Quin igitur et nos in hac virtute eum imitamur, et ductum superiorum velut cæci sequimur?

Ex his videmus nihil esse in mundo asperum, cujus socium non habeamus in eucharistia Christum. Idcirco Ezech. ultimo, nomen civitatis ibi descriptæ, id est, Ecclesiæ, ex ea die (qua scilicet ædificata) vocatur: *Dominus ibidem.* Quid quereris, o Christiane? In statu et conditione abjecta vel opprobrio es? *Dominus ibidem.* In laboribus et afflictione es? *Dominus ibidem.* In subjectione et sub jugo es? *Dominus ibidem, etc.*

## CONCIO VII.

## FESTIVI DIES QUOMODO COLENDI.

I. Refrærandi appetitus inordinati. — II. Vitanda peccata. — III. Conscientia mundanda. — IV. Negotia sæcularia seponenda. — V. Anima spiritualibus civibus roboranda. — VI. Anima virtutibus ornanda. — VII. Vacandum imprimis operibus misericordiæ.

## THEMA.

*Remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus.* Luc. II.

Quid est, auditores, quod festivo die perditur puer Jesus? Nonne si per totum annum perdissent eum parentes ejus, festo illo die, quo pene omnis Judæa confluerat Jerosolymam ad Deum adorandum, reperturi viderentur? Ubi enim certius, ubi enim citius reperitur Jesus, quam ubi adoratur et colitur ejus Pater, quod fit in festis diebus? Ita quidem prudenter sentiendum esse videtur. Sed aliter longe se res habet. Nusquam facilius amitti solet Christus ejusque celestis gratia, quam ubi festa aguntur, quia non ut decet, aguntur. Quare ne in sanctis festivitatum Christum amittamus, ubi inveniri debet, discamus modum et rationem celebrandi festos dies ritu christiano.

Si politica exercitia, quæ in festivis diebus usu recepta sunt, consideremus, ea fere sunt ista. Claudimus officinas, vacamus ab operibus servilibus, plateas exhibemus nitidas et purgatas, molendina sistimus, lautius comedimus, cultius vestimur, denique ad forum procedimus vel deambulamus. Cæterum hæc indicia potius nostrarum festivitatum, quam officia requisita sunt; quæ tamen si spirituali sensu præstemus, bene et laudabiliter festa peragemus.

I. Claudendæ officinæ: claudendi sensus nostri et Deo ut divinis melius vacemus: ad hæc refrærandi appetitus qui alioquin per hunc mundum discurrunt, velut emptores per nundinas, omniaque sibi placentia desiderant, et comparare quærunt, tam noxia quam salubria: et hæc rarius quam illa. Pessimus mercator diabolus exponit plerumque in festivis diebus pessimas suas merces, choreas, ludos, tabernas, pugilum, gymnasia, hastiludia, pompam et luxum vestium, conventicula aliaque delectamenta. Tu vero, si sapis, transi clausis oculis nundinas istas, ne ad pestiferas coemendas merces stimuleris: alliga te cum Ulysse ad malum crucis seu mortificationis, ne exitiosum Sirenum cantum audias; Jerem. c. XVII. præcepit Judæis ne in die sabbati inferrent pondera per portas Jerusa-

lem. Similiter Nehemias videns aliquos in sabbato inferre et pisces et alia venalia in civitatem, sicque profanare sabbatum, jussit claudi portas usque ad alterum diem, Nehem. XIII. Mystico sensu nos claudere hic jubemur sensus nostros, per quos veluti per portas inferuntur in animam noxiæ peccati illecebræ. Certe olim Judæi, imo etiamnum in festo expiationis, abstinent potu, uxore, balneis, calceis, apud Corn. a Lap. in cap. XVI. Levit. Omnisque delectatio tunc eis vetita erat, teste Abulense, in Levit. XXIII. q. XXII. in festo vero paschatis solemnissimo comdebant panes azymos, insipidos et ingratos, qui idcirco panes afflictionis vocantur, Deut. XVI. addebant et lactucas agrestes amaras, Exod. XII. Romani quoque gentiles in festo Veneris vinum effundebant, ut docerent temperantiam diebus feriatis observandam, ut refert Plut. in quæst. Rom. q. XLV. E nostris S. Elisabetha adhuc juvenula festis diebus semper aliquid ornatus sibi detrahebat, modo chirothecas, modo aliud quid, apud Sur. in vita 19. novemb. Nos saltem coerceamus sensus et appetitus nostros, ne ad illicita se effundant. Mirum alioquin est, si domi nostræ festivis diebus negotiationes non admittimus, extra vero quærimus: si aliis vendere merces nolumus magno nostro commodo, interrim emimus alienas magno nostro damno.

II. Vacandum ab operibus servilibus; nec solum a corporalibus, de quibus alibi dicemus, dom. XVI. post pent. c. I. D. et ib. I. c. III. C. sed etiam spiritualibus, quæ sunt peccata; quia *omnis qui facit peccatum, servus est peccati, ait Dominus, Joan. VIII. Rationem aliam dat S. Thom. II-II. q. CXXII. a. IV. ad III. magis homo impeditur a rebus divinis per opus peccati, quam per opus corporale licitum. Unde dixit S. August. I. de decem chordis: « Melius faceret Judæus in agro suo aliquid utile, quam si in theatro seditiosus existeret: et melius femine eorum die sabbati lanam facerent, quam quod tota die in neomeniis suis impudice saltarent. » Et tract. IV. super Joan. « Absit, fratres, inquit, ut illos dicamus observare sabbatum, qui ad luxuriam et ebrietatem observant. » Profanant potius sabbatum, non secus ac Calvinistæ qui in Galliis profanarunt vasa sacra, baptisterium vertendo in cioacam, calices in matulas, altaria in mensas, vestes sacras in scenicum apparatus etc. Quemadmodum enim hæc sanctificantur cum divino cultui applicantur: ita et diei septimo seu sabbato benedixit Deus et sanctificavit illum, Gen. II. Non immerito igitur Dominus talia festa, quæ peccatis contaminantur, vocat sterquilinia, Malach. II. *Dispergam super vultum**



*vestrum stercus solentur vestrarum.* Quemadmodum enim ad fimetum seu sterquilinum comportatur quicquid sordidum et abominabile est, in festivos dies congeruntur omnes mundi fœditates, stultitiæ et vanitates, luxus, compotationes, choreæ, etc. necnon omnis generis scelerata, ebrietas, superbia, duella, rixæ, iniustitiæ, fœda, colloquia et conventicula, detractiones, risus, etc. Omnia differuntur ad festos dies, quasi ad terminum aptissimum. Melius in hoc senserunt et sapuerunt Judæi, qui cæterum impii, timuerunt tamen Christo manus injicere in die festivo: *Non in die festo*, inquiunt, Matth. XXVI. Quare non idipsum dicat Christianus, stimulatus forte a sociis, dæmone vel propriis passionibus ad vim inferendam Christo: *Non in die festo?*

III. Urbis plateæ purgandæ, hoc est, conscientia a peccatis emundanda: si non per confessionem, saltem per contritionem. Non enim possumus rite et decenter celebrare festum, si Dei inimici fuerimus; nec ascendere in Bethel, id est, domum Dei et sacrificare, si adhuc in corde nostro geramus deos alienos, uti discimus a Jacob, Gen. XXXV. Maxime cum festa nostra typus sint illius cœlestis festivitatis, ad quam nemo coinquinatus, nemo sordidus admittitur, Apoc. XXI. Quare sicut inchoante festo, pridie scilicet, everri solent domus et plateæ ad honorem festivi diei: ita par in primis est, ut unusquisque verrat ante fores suas, hoc est, suam quisque conscientiam scopis contritionis, purget a sordibus peccatorum, quæ divinam majestatem longe plus offendunt, quam quæcumque sordes. Scimus mulierem evangelicam, ubi amisit drachmam suam, statim eversisse domum et quæsisse diligenter, donec inveniret eam, Luc. XV. At quam sæpe nos perdimus Dei gratiam, omni auro pretiosorem? Ecce ergo non in sabbato ad minimum verrere incipimus perditamque recuperare? Si solem, id est, diem unum non vult apostolus occidere super iracundia et peccato nostro, ad Eph. IV. multo minus integram hebdomadem. Jer. XVII. dicitur: *Custodite animas vestras, et nolite portare pondera in die sabbati.* Quod autem pondus gravius quam peccatum? Est hoc exercitium insinuatum quoque Judæis dum eisdem præceptum ut in diebus festis mactarent atque immolarent boves et oves aliaque bruta animantia: ut hinc monerentur mactandos esse brutos affectus et peccata velut sacrificia potissima, quæ requirat Deus; quemadmodum exponit apost. in ep. hod. dicens: *Obscuro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra, hostiam viventem, sanctam, Deo pla-*

*centem, ad Rom. XII. viventem, quia non vult mortuam et fetentem in peccatis: sanctam, quia vult mundam, non immundam, cujusmodi sacrificia repulit: Deo placentem, quia vult occisam et crematam per contritionem et mortificationem ut habeat odorem suavitatis. Hoc est illud sacrificium, de quo Num. XXVIII. ait: Oblationem meam et panes et incensum odoris suavissimi offerte per tempora sua. Ubi alia littera legit: Munera mea data mea, hostias meas in odorem suavitatis observate, ut offeratis mihi in diebus festis meis, ut est apud Origenem, hom. XXIII. super Num. qui festivitatem hanc interpretatur pœnitentiam peccatorum.*

IV. Molendina sistenda, hoc est, curæ et negotia sæcularia seponenda, ut in solitudinem cordis ingredi unusquisque, sibi que vacare possit. Reliqui septimanæ dies exteriori homini dati sunt, ut sibi providere de corporis queat necessitatibus, sabbatum et festivi dies interiori homini destinati sunt, ut procuret quæ sunt animæ; ideo sabbatum, id est, quies seu cessatio dictum. Ergo in hoc ad minimum exeundum e molendino et strepitu negotiorum sæcularium, pulvisque curarum et cogitationum inde nobis adhærens excutiendus, uti molitor facit festivis saltem diebus. Dicendum cum Samson, Judic. capite XVI. *Egrediar et me excutiam.* Hoc etiam Judæis Deus insinuavit, quando, Exodi. cap. XVI. egressi die sabbati ad colligendum manna, non invenerunt. Causam subdit Dominus: *Videte quod Dominus dederit vobis sabbatum et propter hoc die sexta tribuit vobis cibos duplices: maneat unusquisque apud semetipsum, nullus egrediatur de loco suo die septimo.* Quid est, maneat unusquisque apud semetipsum? nisi curet res interioris hominis, videat quam per hebdomadem profecerit vel profecerit: cogitet quo vadat, cœlumne an orcum studia ejus spectent? Sane aleator qui per totam diem vel hebdomadem aleis operam dedit, tandem in fine computat lucrum suum; vel si perdidit, jacturam suam. Ludimus plerique totis septimanis cum diabolo, mundo, carne, qui lusoriæ chartæ symbolis, corde, nola, glande, folio, sæpissime nos cœdunt: corde, id est, cogitationibus pravis, quas in corde agimus: nola, id est, verbis incompositis et stulliloquiis, quibus mentis nostræ inanitatem prodimus: glande, id est, operibus malis, quibus saginantur pori infernales: folio, hoc est, omissionibus operum illorum, ad quæ obligamur, quæque requirens in ficu Dominus non reperit nisi folia. Quin igitur subinde semel saltem in hebdomade rationes instituumus, num et quantum lucrati simus, vel quantum jacturæ fecerimus? Hoc vero opus de-

betur festis imprimis diebus, animæ decretis.

V. Lautius comedendum; quod fit secundum spiritum, si animam confortemus cibis ei proportionatis ac debitis, qui sunt oratio, concio, sacra lectio, missa et sacra communio, saltem spiritualis: e quibus missa de præcepto, concio vero de consuetudine tantum ecclesiæ audienda est: reliqua libera sunt et consilia tantum. Missa audienda, ut offeramus Deo sacrificium a nobis requisitum, quod omnium præsentium nomine sacerdos ei repræsentat velut omnium legatus: ut in ea passionem Domini recolamus: ut robor accipiamus, et benedictionem ad reliquas nostras actiones. Concio audienda ut in ea velut in speculo contemplerur sordes animæ nostræ: ut accendamus lucernam pedibus nostris. Oratio adhibenda, ut idipsum quod audivimus, effectui demus: ut Deo pro acceptis beneficiis gratias agamus et nova impetremus. S. Gregorius in registro ait: « Dominico die a labore terreno cessandum est, atque maxime orationibus insistendum, ut si quid negligentia per sex dies agitur, per fidem resurrectionis Dominicæ precibus expietur. » Porro si vires corporis bis in die restauremus, nimium non est, si vires animæ semel aut bis in hebdomade, prout festa incidunt, resarcire satagemus? Siquidem *feriari nostrum*, inquit Sanctus Gregorius Nazianzenus, oratione XLIV. *non est aliud quam animæ aliquid eorum aggerere, quæ firma et stabilia sunt.* Clarum autem est non minus animam deficere, si ad longum tempus suo destituatur cibo, quam corpus. insinuavit hoc Judæis Deus, dum per singula sabbata in mensa propositionis jussit poni novos et recentes panes, veteribus sublatis, Levit. c. XXIV. ne videret alioquin nimium desiccarentur et indurescerent vel corrumperebantur, fierentque inutiles. Pari modo nisi subinde novis cibis reficiatur anima, veteres jam dudum percepti et fere oblivioni traditi minus ei proderunt, minus roboris præbebunt, adeoque fiet ipsa quoque arida, dura, corrupta; quod testatur David, Psal. CI. dicens: *Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.*

VI. Cultiore vestitu prodeundum in publicum; quod non solum apud nos Christianos, verum etiam apud Hebræos usitatum fuit, ad diei festi et ipsius Dei honorem. Ita enim Judith *erat in diebus festis procedens cum magna gloria*, ut dicitur, Judith. cap. XVI. E Christianis Thomas Morus Angliæ cancellarius, dum pro defensione religionis catholice in carcere detineretur, in festivitibus vestes sibi meliores afferri curavit et induit: *Quia non ad conspectum populi, inquit,*

*sed ad Dei honorem festa colo et honeste induor.* Refert Thomas Stapletonus, in ejus vita. Cæterum longe præstat vestitu spirituali adornare animam cum dies festus agitur. Nam ut S. Leo M. serm. III. de quadr. ait: « Si rationabile et quodammodo religiosum videtur per diem festum in vestitu nitidior prodeire, et habitu corporis hilaritatem mentis ostendere: si ipsam quoque orationis domum propensiore tunc cura et ampliore cultu quantum possumus adornamus; nonne dignum est, ut anima christiana, quæ verum vivumque Dei templum est, speciem suam prudenter exornet et redemptionis suæ celebratura sacramentum, omni circumspectione præcaveat, ne ulla eam macula iniquitatis obfuscet aut duplicis cordis ruga dedecoret? Nam quid prodest honestatis formam præ se ferens cultus exterior, si interiora hominis aliquorum sordeant contaminatione vitiorum? » Sanctus etiam Chrysostomus, hom. LII. in Matth. ait hunc morem in nonnullis Ecclesiis corroboratum, ut diligenter multi studeant, quomodo manibus puris et vestibus candidis induti in ecclesiam ingrediantur, quomodo autem animam atque mentem suam puram Deo offerant, nullam curam habeant. Cum ergo festivitatis animæ, non corpori decretæ et typus sint festivitatis beatificæ, communiter etiam per hebdomadem non queratur ornatus animæ, decet ut imprimis festo tempore virtutum studio perpoliatur, comatur et ornatur anima Deo placitura, et cum prudentibus virginibus, quæ ornarunt lampades suas, ad sponsum introitura. Tales autem sunt sobrietas, humilitas, temperantia, continentia, etiam in conjugio, castitas, cordis munditia, patientia, obedientia, lingue refrænatio, etc. Atque hoc est sabbatum illud delicatum, quod desiderat Deus Isa. LVIII. per prophetam inquiens: *Si vocaveris sabbatum delicatum et sanctum Domini gloriosum, et glorificaveris eum, dum non facis vias tuas et non invenietur voluntas tua, ut loquaris sermonem? Tunc delectaberis super Domino et sustollam te super altitudines terræ et cibabo te hæreditate Jacob patris tui.* Hoc est, si habueris sabbatum pro deliciis tuis, egerisque id delicate ut nulla in re vel levi Deum offendas, gloriam item non tuam, sed Dei solius quæsieris, deinde refrænaris appetitus tuos et propriam voluntatem, necnon linguam tuam, a noxiis sermonibus: tunc impleberis gaudio et consolatione spiritus, deinde contemptu rerum terrenarum et desiderio cœlestium, denique benedictione Jacob, hoc est, cœli et terræ bonis.

VII. Deambulandum aliquantulum. Et quorsum pufatis? Non ad ludos et spectacula, non



ad pugilum theatra, non ad aleatorum mensas, non ad forum aut tabernas, sed ad sacras aedes, ad hospitalia et cœmeteria. Ita enim Tobias in solemnitatibus dum irent alii ad vitulos aureos, ipse pergebat in Jerusalem ad templum Domini et ibi adorabat, Tob. I. Ita S. Hieronymus qui lib. XII. in Ezech. c. XL. de se scribit: « Cum essem Romæ puer et liberalibus studiis erudirer, solebam cum cæteris ejusdem pietatis et propositi, diebus dominicis sepulera apostolorum et martyrum circumire crebroque cryptas ingredi. » Imprimis vero vacare decet operibus misericordie; siquidem aliis diebus fere nobis tantum attendimus. Propterea festivis diebus præ foribus ecclesie advigilant mendici veluti aulici Christi Domini, qui etiam in sabbatis beneficia curationum impertivit miseris. Apostolorum quoque tempore in sabbatis fiebant collectæ pro egentibus, ut patet I. Cor. XI. Hi sunt gazophylacia, in quæ munera nostra et quidquid in cœlo reponere volumus, secure deponemus. « Manus pauperis (inquit Chrysologus, serm. VIII.) est gazophylacium Christi, quia quidquid pauper accepit, Christus acceptat. Da ergo, homo, pauperi terram ut accipias cœlum: da nummum ut accipias regnum, da micam, ut accipias totum. »

Hæc est, auditores, ratio christiana celebrandi festos dies, quam si observaveritis, non modo in his Christum non perdetis, verum etiam, si perdidistis, rursus invenietis.

## CONCIO VIII.

## DOCUMENTA EX EVANGELIO.

I. Discunt parentes. — II. Discunt liberi. — III. Discunt conjugati. — IV. Discunt cognati. — V. Discunt clerici. — VI. Discunt omnes.

## THEMA.

Conservabat omnia verba hæc in corde suo. Luc. II.

Quoniam hodiernum evangelium salutaribus doctrinis plenum est, sine ambagibus id aggregemur; et quoniam habent ibi quod discant parentes, liberi, conjuges, cognati, omnes, singulis suas partes distribuemus.

I. Discunt parentes instituere ad pietatem lieros suos, juxta exemplum Christi parentum, qui filium ad templum duxerunt, et perditum sollicitè quæsiverunt. Et primo quidem a pueritia, cum sapere incipiunt, ducant eos ad templum et rem divinam: necnon ad confessionem

et communionem. Non expedit quidem ducere eos ad templa, dum sunt infantes, quia perturbant alios. Sed incipientibus annis discretionis ad hæc assuefaciendi sunt. Quod enim a tenera ætate imbibitur, alte et diu retinetur. Testes sunt equi, tigrides, ursi, leones, elephantes, etc. qui a primæva ætate cum instruuntur, discunt saltare, ludere, joculari. Quis magis horret lepus, quam tympani sonitum? Et hoc tamen sonare pedibus suis doctus est ab aliquibus. Vidi ego Romæ asinum saltantem, non tantum ad numerum, sed etiam per circulum ligneum, nec tangentem illum: capram præterea etiam funibus inambulantem, per eos ascendentem et revertentem. Si parentes ducant liberos suos ad popinas et choreas, eas etiam in posterum filii frequentabunt; sin vero ad templum et rem divinam, ea etiam postea amabunt. Exemplum in Samuele, Deipara et aliis, qui idcirco ad maximam sanctitatem pervenerunt. Duo fratres erant Wenceslaus et Boleslaus Bohemiæ principes: sed quia ille a Ludmilla religiosa femina educatus fuit, optimus et sanctus evasit; hic vero quia ab impia Drahomira, pessimus extitit et fratrem Wenceslaum interfecit, refert Joannes Dubravius episc. Olomuc. Multi nunc ducunt liberos suos ad mundi vanitates et pericula, ad instar Israelitarum, qui videntes a gentilibus immolari et cremari filios idolo Moloch, ducebant saltem et ipsi suos per ignem illum. Nolunt quidem immolare liberos dæmoni, sed denigrant tamen et amburant in vanitatibus mundanis.

Secundo, errantes et lapsos adeoque perditos festinent reducere. Patet etiam in brutis quantopere laborent eruere a periculis fetus suos. Efferunt eos mordicus e foveis, in quas lapsi sunt; efferunt ex igne non absque sui læsione. Panthera illa apud Plin. I. VIII. c. XVII. hominis opem imploravit ad catulos e fovea, in quam ceciderant, extrahendos, eumque pallio leniter prehensum ad foveam duxit. Ita ergo parentes Christi, dolentes quærebant filium amissum. Amittitur autem filius longe periculosissime, cum in pravam societatem, vel in perversam vivendi rationem incidit. Ita S. Monica assiduis precibus et lacrymis pro filio Augustino, qui in Manichæorum hæresim inciderat, fuis continuo Deum fatigabat, donec filium erueret. Unde jurè vocatus est *filius lacrymarum ejus*, ut in ejus confes. lib. III. c. ult. Si nuntiaretur matri filium jacere in puteo, cum morte luctantem, quantum heu doleret! Sed si dicam: Mater, filius tuus jacet in ceno luxuriæ, vel in hæresi; mater, filius tuus furatur, inebriatur: nihil contristatur,

II. Discunt liberi primo a tempore, quo ratione uti incipiunt, salutis suæ consulere, etiam invitatis parentibus, rebus divinis assuescere, templum frequentare, etc. juxta exemplum Christi. Cum enim ad bivium illud Herculis, et litteræ Pythagoricæ Y venerint, ibi nonnihil consistere et bene ponderare debent quam viam inire velint, latamne an angustam. Difficilius enim ad rectam viam reditur, quam in ea persistitur. Et si viam virtutis, veræ fidei aut religionis elegerint, etiam repugnantibus aut inconsultis parentibus, siccis oculis ad vexillum crucis evolent. Non enim oportet eos hac de re respondere parentibus, cum a Deo vocentur, qui dixit: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus*, Matth. X. Si contempta nutrice curreret infans ad parentes suos, num improbarent id parentes? Haudquaquam. Atqui parentes nostri nutriti sunt, Deus vero pater est. *Non es ejus cui nata es*, ait Hieronymus ad Heliod. *sed cui renata*. Commendatur a Sev. Sulpitio S. Martinus, quod duodecim annos natus invitatis parentibus ethnicis ad Christianorum templa confugerit, et catechumenus fieri voluerit. Commendatur et S. Thomas Aquinas, quod puer adhuc reluctantibus parentibus et fratribus ad religionem sese receperit, ab iisque deprehensus et miris modis tentatus, acriter restiterit. Sic alii quam plurimi. *Bonum etiam est viro*, ait Jeremias Thren. III. *cum portaverit jugum ab adolescentia sua, sedebit solitarius et tacebit*. Quem locum exponens S. Ambrosius, in Psal. CXVIII. ait: « Qui a juventute jugum portaverit et habenis maturi moderaminis teneriora volens colla subdiderit; sedebit singulariter remotus a strepitu interpellantium passionum et quietus silebit: cui necesse est jam non jurgari cum corpore, decertare cum variis cupiditatibus: quia tulit jugu mverbi anima, quæ querit Deum, quæ captivas sibi fecit omnes delicias juventutis. »

Secundo, in reliquo subditi esse parentibus. Quemadmodum et Christus descendit cum parentibus in Nazareth et erat subditus illis. *Quis quibus?* ait S. Bernardus; *Deus hominibus*. Deus ergo hominibus se subjicit: et non subjiciant se parentibus liberi? Multum omnino est paruisse solem et stetitisse ad vocem Josue, Jos. X. sed longe admirabilius est, solem justitiæ Christum descendisse in terras, et obediisse hominibus. Quantuscumque ergo es, parentibus tuis defer honorem et obedientiam. Sic descendens in Nazareth et Nazareus vocaberis, id est, floridus. Ut enim flos spem fructus gignit: ita filii obedientia prænuntiat virum bonum et heredem cæli. Unde vocari solet juvenus florida. Ecceur? Nisi

quia inde sperantur egregii fructus? Quod si igitur non floreat per obedientiam, sed nodosa tantum germina et grossi maneant: ac quid prosunt, nisi ut excindantur et in ignem mittantur? Ideo Deut. XXI. jubetur filius protervus et immorigerus ab universo populo lapidari. Ideo plerique adolescentes ante maturam ætatem moriuntur; ut quid enim terram occupat ejusmodi arbor, quæ nullis correctionibus et subsidiis emendatur?

III. Discunt conjugati mutuo se honorare. Sic enim Joseph honoravit conjugem suam Deiparam, dum non ipse interrogavit Jesum, quamobrem in templo remansisset, sed hoc potius conjugati detulit. Maria itaque ob majorem, quam habuit erga filium relationem et confidentiam, eum allocuta est; sed ita tamen ut honorem Josepho suo deferret, licet sciret eum esse nutritium tantum. Ait enim: *Pater tuus et ego dolentes quærebamus te*. Nimirum habuit Sanctus Joseph, cur præponeret sibi Mariam, quia scivit eam veram filii matrem, se vero esse nutritium tantum: scivit eam plus laboris et sollicitudinis ob filium exantlasse: scivit eam sanctiorem: scivit eam de sexu muliebri adeoque imbecilliori esse. Similiter Deipara agnovit Sanctum Josephum esse caput suum: agnovit filium suum ab eo non minus diligi, quam si pater ejus naturalis esset: agnovit eum esse tutorem, nutritorem, et quodammodo patrem suum: agnovit eum esse virum magnæ sanctitatis, seque in hoc ei humiliter postposuit. Eisdem aut similes causas inveniunt conjugati, cur alter alterum honoret. Vir honoret mulierem tamquam vas infirmius, sic enim cerea imago cautius tractatur, quam lignea aut ærea. Honoret eam tamquam matrem filios sibi gignentem, sic currui onusto cedere de via debent currus vacui. Honoret tamquam majoribus curis et laboribus distentam in filiorum educatione. Honoret tamquam sexum magis devotum. Vicissim etiam uxor honoret virum tamquam caput suum, tamquam directorem, tamquam nutritorem suum.

IV. Discunt etiam cognati suorum propinquorum curam habere: etenim Joseph et Maria requirebant filium suum inter cognatos et notos, quia prudenter existimabant, filium, si se ab ipsis subduxisset, non ad alios, quam ad cognatos et notos recepisse. Talis ergo animorum unio et honorum communio inter sanguine junctos esse debet, ut qui forte adversante fortuna in miserias prolapsus est, habeat quo confugiat. Certe agentia naturalia prius et fortius agunt in propinqua quam in remota, veluti sol in zona torrida; et tunica pallio propior est. Itaque si